

decempedis villas multorum, hortosque peragrabat: qui Janiculo et Alpibus spem possessionum terminabat suarum: qui cum ab equite Romano, splendidissimo et forti viro, T. Pacavio non impetrasset, ut insulam in lacu Prelio venderet, repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, caementa, atque arma convexit: dominoque trans ripam inspectante, non dubitavit aedificium extruere in alieno: qui huic T. Furfanio, cui viro, dii immortales? (quid enim de muliercula Scantia? quid de adolescente Aponio dicam? quorum utrique mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessisset); sed ausus est Furfanio dicere, si sibi pecuniam, quantam poposcerat, non dedisset, mortuum se in domum ejus illaturum: qua invidia huic esset tali viro conflagrandum: qui Appium fratrem, hominem mihi conjunctum fidelissima gratia, absentem de possessione fundi dejecit: qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo vestibulo privaret, sed omni aditu et limine.

XXVIII. Quanquam haec quidem jam tolerabilia videbantur, etsi aequabiliter in rempublicam, in privatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos irruebat: sed nescio, quomodo jam usu obduruerat et percalluerat civitatis incredibilis patientia. Quae vero aderant jam, et impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre? Imperium si ille nactus esset (omitto socios, exterarum nationes, reges, tetrarchas: vota enim faceretis, ut in eos se potius mitteret, quam in vestras possessiones) vestra tecta, vestras pecunias: pecunias dico? a liberis, a liberis, medius fidius et a conjugibus vestris nunquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset. Fingi haec putatis, quae patent? haec, quae nota sunt omnibus? quae tenentur? servorum exercitus illum in urbe conscripturum fuisse, per quos totam rempublicam resque privatas omnium possideret? Quamobrem, si cruentum gladium tenens clamaret T. Annius: Adeste, quaeso, atque